

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXVI. An relatio æqualitatis, similitudinis, & identitatis inter
personas sit realis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

titas designatur secundum quod dicitur aliquid magis vel minus calidum, inquantum est perfectius vel minus perfectum in tali caliditate. Huiusmodi autem quantitas virtualis attenditur primo quidem in radice, id est, in ipsa perfectione formæ, vel naturæ: & sic dicitur magnitudo spiritualis: sicut dicitur magnus calor propter suam intensiorem & perfectionem. Et ideo dicit August. 6. de Trinit. quod in his quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse. Nam melius dicitur quod perfectius est. Secundo autem attenditur quantitas virtualis in effectibus formæ. Primus autem effectus formæ est esse. Nam omnis res habet esse secundum suam formam. Secundus autem effectus est operatio. Nam omne agens agit per suam formam. Attenditur igitur quantitas virtualis & secundum esse, & secundum operationem. Secundum esse quidem, inquantum ea quæ sunt perfectioris naturæ, sunt maioris durationis. Secundum operationem vero, inquantum ea quæ sunt perfectioris naturæ, sunt magis potentia ad agendum. Sic igitur, ut August. dicit in lib. de fide ad Petrum. Æqualitas intelligitur in patre & filio & Spiritu sancto, inquantum nullus horum aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.

Ad secundum dicendum, quod ubi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtutalem, æqualitas includit in se similitudinem & aliquid plus: quia excludit excessum. Quæcunque enim communicant in vna forma, possunt dici similia, etiam si in æqualiter illam formam participant, sicut si dicatur aer esse similis igni in calore. Sed non possunt dici æqualia, si vnum altero perfectius formam illam participet. Et quia non solum vna est natura patris & filij, sed etiam æque perfecte est in utroque: ideo non solum dicimus filium esse similem patri, ut excludatur error Eunomij, sed etiam dicimus æqualem, ut excludatur error Arrij.

Ad tertium dicendum, quod æqualitas vel similitudo dupliciter potest significari in diuinis, scilicet per nomina, & per verba. Secundum quidem quod significatur per nomina, mutua æqualitas dicitur in diuinis personis, & similitudo. Filius enim est æqualis & similis patri, & è conuerso. Et hoc ideo: quia essentia diuina non magis est patris quam filij. Unde sicut filius habet magnitudinem patris, quod est esse eum æqualem patri: ita pater habet magnitudinem filij, quod est

esse eum æqualem filio. Sed quantum ad creaturas (ut Dionys. dicit 9. c. de diuin. nomin.) non recipitur conuersio æqualitatis & similitudinis. Dicuntur enim causata similia causis inquantum habent formam causarum, sed non è conuerso, quia forma principaliter est in causa & secundario in causato. Sed verba significant æqualitatem cum motu. Et licet motus non sit in diuinis, est tamen ibi, accipere. Quia filius accipit à patre, unde est equalis ei: & non è conuerso.

Ad quartum dicendum, quod in diuinis personis nihil est considerare nisi essentiam, in qua communicant, & relationes in quibus distinguuntur. Æqualitas autem vtrunque importat, scilicet distinctionem personarum, quia nihil sibi ipsi dicitur æquale: & vnitatem essentiae quia ex hoc personæ sunt sibi inuicem æquales, quia sunt vnus magnitudinis, & essentiae. Manifestum est autem quod idem ad se ipsum non refertur aliqua relatione reali. Nec iterum vna relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem & filiationem. Quia utroque modo relatio multiplicaretur in infinitum. Et ideo æqualitas & similitudo in diuinis personis non est aliqua realis relatio distincta, à relationibus personalibus, sed in suo intellectu includit & relationes distinguentes personas & essentiae vnitatem. Et propterea magister dicit in 31. distinct. 1. sent. quod in his appellatio tantum est relatiua.

CONCLUSIO est affirmans, expressa in Symbolo Achanasij, Tres persone coeternæ sibi sunt & coæquales: quædam tamen circa maiorem alius, & totius doctrinæ articuli explicationem disputat. seq. notanda sunt.

DISPUTATIO CLXVI.

An relatio æqualitatis, similitudinis, & identitatis inter personas sit realis.

Scotus putat, esse has relationes reales. cap. 1.
Has relationes tantum esse rationis, probabilior opinio fuit, varie tamen probatur. c. 2.
Optima ratione præcedens sententia confirmatur. c. 3.
Oppositio contra rationem prædictam. c. 4.
Corollarium eius controuersie. c. 5.

Lib. 6. de
Trinit. c. 8.
circa med.
som. 3.

Scotus putat, has relationes esse reales.

Has relationes tantum esse rationis, probabilior opinio fert, varie tamen probatur.

Communis sententia, vt multo probabilior, amplectenda est, quæ affirmat, has relationes in Deo tantum esse rationis. Sic affirmant cum S. Thom. in hoc art. Caietan. Canar. & recentiores S. Thom. Thomistæ, Durand. in 1. d. 3. q. 1. Capreol. q. 1. artic. 5. Concluf. 3. Marfil. in 1. q. 3. art. 2. conclus. 2. & notat. 8. mitto Gab. in eadem dist. q. 1. qui in hanc sententiam videtur inclinare: Nominales namque vix admittere videntur relationes rationis, sicut neque distinctiones rationis: sed omnes relationes & distinctiones huiusmodi in nominibus putant esse collocatas. Adde, quod licet vna harum relationum in Deo realis esset, tamen non essent tot relationes distinguendæ inter se ex natura rei eodem modo, quo de ipsis attributis & essentia disputatione 116. dictum est, quia solum videretur in Deo ponenda relatio identitatis fundata in vnitatis substantiæ: relatio autem similitudinis & æqualitatis ab hac non distingueretur.

Varie tamen hæc sententia confirmari solet à Doctoribus, ideoque in hoc capite aliorum rationes censebimus, vt tandem sequenti propriam rationem: & quædam alia notatione digna afferamus. Durandus igitur questione citata num. 4. quorundam rationem refert in hunc modum. Relatio identitatis, quæ fundatur in vnitatis substantiæ, in creaturis est solum rationis; tamen si relatio æqualitatis & quantitatis sit realis: sed omnes hæ relationes ad Deum translatae sunt relationes identitatis, cum in Deo non sit qualitas, nec quantitas: ergo in Deo hæ relationes sunt rationis. Ego tamen nescio, quare relatio identitatis in creaturis sit rationis: relationes vero æqualitatis, & similitudinis sunt reales. Nam si identitas relatio est rationis, quia vnitatis in substantia est per rationem: sic etiam vnitatis in qualitate & quantitate est per rationem, duæ enim qualitates & quantitates re ipsa diuersæ, vniuntur per rationem, & dicuntur vna qualitas, vt faciant simile, & vna quantitas, vt faciant æquale.

Secunda ratio, Henrici quodlib. 5. q. 1. quam refert Scotus loco citato, solum probat, æqualitatem & similitudinem in Deo non esse relationes reales, quia in Deo non est qualitas secundum rem, sed nostro modo intelligendi: hæc tamen ratio non probat de relatione identitatis, cum hæc in substantia fundetur, quæ secundum rem in Deo est.

Tertia ratio est Dur. q. citata num. 9. quæ talis est, Tertia ratio rejicitur
Hæ relationes in Deo fundantur in substantia: substantia autem Dei non postulat pluralitatem, quatenus substantia est, sed secundum originem in personis: ergo secundum se non potest esse fundamentum relationis realis, quæ pluralitatem postulat relatorum. Hæc tamen ratio non satis probat, quare pluralitas personarum in eadem natura non sufficienter constituat extrema realis relationis: siquidem personæ sunt, quæ dicuntur æquales, & similes.

Quarto nonnulli sic probant, quia censent, in relatione reali non tantum debere extrema distinguere, sed etiam fundamenta relationum: hic autem licet extrema distinguantur, fundamenta tamen non

A Nequam ad disputationem accedamus, præmittendum est ex doctrina Durandi in 1. d. 19. q. 1. & ex Scoto q. 1. tres relationes primi generis quæ in creaturis ex varijs fundamentis distinctæ resultant, in Deo coniunctas reperiri. Nam in creaturis prima est relatio æqualitatis, fundata in vnitatis quantitatibus; altera relatio similitudinis in vnitatis qualitatibus; tertia relatio identitatis, fundata in vnitatis natura, & substantiæ. Quæ omnes in primo genere enumerantur ab Aristot. lib. 5. Metaphys. cap. 15. nostro autem modo intelligendi primum in essentia diuina consideramus rationem substantiæ dantis esse, & inde nascitur relatio identitatis, & consubstantialitatis: deinde consideramus eandem per modum qualitatis, videlicet per modum veritatis, & sapientie, & inde oritur relatio similitudinis: postremo consideramus in diuina essentia rationem quandam quantitatis, quatenus dicimus Deum magnum, & in hac fundatur relatio æqualitatis: de his igitur relationibus quæstio est, vtrum sint in Deo reales, an tantum rationis.

In qua controuersia fuit opinio Scoti, qui quodlib. 6. artic. 2. & in 1. d. 3. q. 1. affirmat, esse reales relationes. Ratio illius vnica est, quia scilicet in his relationibus reperiuntur omnia, quæ ad reales relationes requisita sunt: ergo sunt reales. Primo enim requiritur, extrema relationis esse realia: hic autem realia sunt, videlicet personæ. Secundo necessarium est, fundamentum esse reale, & terminum relationis similiter: hic autem vtrique reperitur: nam fundamentum est vnitatis essentia vario illo modo considerata, & terminus est altera persona. Tertio oportet, vt ex natura fundamenti, & extremorum confluat relatio ad hoc, vt realis sit: id quod hinc relationibus conuenit, vt manifestum est: superest igitur, vt reales sint, & dicantur.

Perfiliens autem Scotus in sua sententia, quæ putat attributa inter se & ab essentia ex natura rei, & non sola consideratione nostra distingui, docet quodlibeto citato, 5. Contra dicta, fundamentum harum relationum esse reale, non solum quatenus fundat relationem identitatis, sed etiam similitudinis, & æqualitatis, quia in ea est ratio attributi per modum qualitatis, licet reuera non sit qualitas: est enim sapientia & bonitas: & cuiusdam quantitatis, vt magnitudo, quæ peculiare relationes distinctas ex natura rei à relatione identitatis fundare possunt. Appellat autem has relationes eiusdem rationis in vtroque extremo, quas Logici vocant æquiparantiz, aliter, quam relationes originis: hæc namque sunt alterius rationis in vtroque extremo, & dicuntur à Logicis relationes disquiparantiz. Denique aduertit quodlibeto citato art. 2. §. Secunda contradicatur, & §. duo ergo, has relationes posteriores esse relationibus originum, vt ita extrema, videlicet personæ prius sint distinctæ; namque personæ primo originibus, seu relationibus oppositis distinguuntur.

non distinguuntur. Ceterum quamvis aliqua fundamenta relationum debeant distingui, id tamen in vniuersum necesse non est. Nam relationes secundi generis, quæ dicuntur fundari in actione præsentis, præterita aut futura, non habent distincta fundamenta, sed in eadem generatione fundantur paternitas, & filiatione in humanis: in ea enim fundari has relationes, non in potentia ad actum redacta, verius existimo, & doctrinæ Aristot. 5. Metaphys. cap. 15. magis consentaneum. Factum in relationibus, quas vocant primi generis, nempe æqualitatis, similitudinis, & identitatis, semper distingui fundamenta: id tamen alia ratione fit, non quia fundamenta sunt, vt sequenti c. videbimus.

Quinta ratio Canariensis.

Quinta denique ratio est Canariensis, qui asserit, has relationes in Deo non posse esse reales ratione essentiae, quia vna est, & eiusdem ad se ipsum non est relatio realis neque ratione personarum, quia personæ realiter distinguuntur per relationes originis, & vna relatio non potest esse fundamentum & causa alterius relationis realis. Quare hic author concederet, has relationes in Deo fore reales, si personæ non distinguerentur relationibus, sed proprietatibus absolutis. Sic enim fundare possent relationes reales æqualitatis, & similitudinis, quia tunc non obstarat id, quod ipse dixit. Quocirca concedit, si in diuersis hominibus esset eadem albedo, futuram quoque realem relationem similitudinis: quia personæ, quæ referrentur, non essent relationibus constitutæ, & distinctæ, sicut sunt diuinae.

CAPVT III.

Optima ratione præcedens sententia confirmatur.

Sexta ratio Canariensis.

Optimam huius opinionis rationem assecutus est Caietan. in hoc art. quæ tam in humanis, quam in diuinis locum habet, & talis est. In eo genere relationis, in quo fundamenta primo referuntur, & subiecta ratione fundamentorum, necesse esse, fundamenta realiter distingui: quia non tantum sunt fundamenta, sed ipsa extrema primaria relationum: extrema autem secundum omnium sententiam realiter debent differre, sed fundamenta relationum, quæ dicuntur primi generis, nempe æqualitatis, similitudinis, identitatis, primo referuntur; nam quantitas primo dicitur alteri æqualis, qualitas alteri similis, substantia alteri eadem: ergo ipsa quoque debent distingui, vt sit relatio realis. Cumque diuine personæ dicantur æquales, similes, & eadem ratione eiusdem numero naturæ, quam habent communem, efficitur prædictis relationes non esse reales, sed rationis.

Ad rationem primam sententia.

Atque ex hoc fundamento soluantur quæuis argumenta pro sententia Scoti allata, imo etiam varæ rationes, quas Doctores nostræ sententiæ attulerunt; refelli possunt, illa præsertim Canariensis proxime memorata: nam licet personæ diuinæ constituerentur absolutis proprietatibus, nihilominus relationes productæ non essent reales, eo quod fundamenta, quæ primo referuntur, non distinguerentur realiter, quia esset diuina natura. Similiter, si in duobus creatis, subiectis esset vna, & eadem albedo, relatio similitudinis non esset realis, eo quod esset vnicum fundamentum, ac proinde extrema primaria relationis non distin-

ARTIC. II.

guerentur. Parum igitur refert, personam in diuinis constitui relationibus, vt dicamus, non posse referri relatione reali similitudinis, æqualitatis, & identitatis.

Verum enimvero, si sententia Scoti de distinctione attributorum Dei inter se & ab essentia, vera esset, sequeretur, plures esse relationes reales in Deo, quam enumeratas: nam in Deo tot essent relationes æqualitatis, quot essent magnitudines distinctæ: tot autem magnitudines ex natura rei essent distinctæ, quot essent attributa. Id quod ipse libenter fateatur in 1. d. 3. q. 5. quantum ad tertiam, in solutione secundi. Quare non reueneret concedere plures; quam viginti relationes reales, quas contra ipsum conatur elicere Canariensis. 4. parte comment. huius art. Hæc tamen omnia friuola sunt, & contra communem Scholasticorum doctrinam, qui solum quatuor relationes reales in Deo concedunt.

CAPVT IV.

Oppositio contra rationem prædictam.

Posset fortasse aliquis contendere, inter personam diuinam esse relationem realem distinctionis, oppositam relationi identitatis; nam personæ realiter distinctæ sunt. Præterea relatio distinctionis non fundatur in natura, sed in proprietatibus personalibus, quæ possunt esse extrinsecas, prima relationis: ergo nihil deest, quominus hæc relatio dicatur realis. Responderet doctrina S. Thom. in hoc art. in solutione quartæ, nullam relationem posse esse fundamentum alterius relationis, præsertim quod primo referatur: esset enim processus in infinitum, id quod hac ratione probari potest. Sicut vnus actio non potest esse alia actio, quia actio non est id, quod fit, sed actus & via, quo aliquid fit: & licet vnus habere, vel habitus non est alius habitus, quia habitus est veluti actus, & via inter habentem & rem habitam, & ideo habitus ipse, quo vestem habemus, non habetur: sic etiam vnus relationis non potest esse alia relatio, quia relatio est veluti actus & via, qua vnum relatum ad aliud refertur, id quod adeo verum existimo, vt nec per intellectum distingui possit actio actionis, & habitus alterius habitus, & relatio alterius relationis, quia intellectus inter actum & rem, cuius est actus, non potest concipere alium actum.

Sed adhuc obijciat aliquis, sicut persone Patris & filij semel constitutæ suis proprietatibus relationis, recipiant adhuc aliam relationem spiritalis, cur non recipere possunt aliam relationem diuersitatis, & distinctionis?

Respondeo, diuersam esse rationem: nam relationem spirationis recipiunt persona Patris & filij, non media alia relatione constituyente, neque relationes constituentes referuntur relatione illa spirationis, nec sunt fundamenta illius: sed relationis illud fundamentum, & veluti causa est origo. Id autem, quod primo refertur ea relatione, est persona, non relatio personalis: persona autem etiam constituta relatione, potest referri primo ad relationem, quia potest habere duas origines actus: at relatio diuersitatis ita fundaretur primo ad relationem personalem, vt ipsamet personalis relatio primo referretur, quod est impossibile; eo quod fundamenta harum relationum primo referuntur

ut ratione Caiet. ostensum est. Sequeretur etiam, ut dixit S. Thom. processus in infinitum, quia alterius quoque relationis daretur relatio.

At rursus dicat aliquis, non sequi processum in infinitum, quia, licet relatio paternitatis & filiationis referrentur alia ratione diuersitatis, quae est alterius generis; tamen relatio diuersitatis non posset alia ratione referri, quia esset eiusdem specie, & in eodem subiecto, atque ad eandem numero. Verumtamen ideo omnino sequeretur de hac relatione diuersitatis, quod de alijs. Nam licet esset in eodem subiecto, quia tamen non haberet idem fundamentum, neque eundem terminum, sed diuersum, ut constat: nec idem proximum subiectum, quia proxime referret relationem illam, quae substantiam prius referebat, saltem esset haec relatio posterior numero, diuersa à priori, & sic de alijs.

Tandem ex eodem principio Doctoris sancti colligitur optima ratio, ob quam ad relationem non sit per se motus, quia cum relatio se habeat per modum cuiusdam actus medij inter relatam & terminum, sicut habere inter habentem & rem habitam, informatio inter formam & materiam, & actio etiam sit medius actus & effectum, sit, ut non possit concipi tanquam terminus actus agentis alius actus, qui est relatio, sed terminus concipitur ut res quaedam, quae non habeat rationem actus, ideo nec ad praedicamentum habitus potest esse motus, nec praedicamentum situs, quia etiam hoc significatur per modum actus, ut iacere, sedere.

CAPVT V.

Corollaria huius controversiae.

Dvo super sunt notanda, quibus tota doctrina praesentis articuli & disputat. perfecta erit. Vnum est, creaturam dici similem Deo, sed Deum non dici similem creaturae: cum tamen Pater & filius mutuo dicantur sibi similes. Doctrina est Diuina, cap. 9. de diu. nom. quam sequitur est S. Thom. *Supra q. 4. art. 3. ad 4. & 1. contra gentes cap. 29. & Tertium. ibid.* Ut enim notauit S. Thom. praedicis in locis, alio modo reperitur similitudo in ijs, quae sunt alterius ordinis, quam in ijs, quae sunt eiusdem. Ea enim quae sunt eiusdem ordinis, ut duo alba, mutuo dicuntur similia, quia hoc genus similitudinetantum est aequalitas, vel vnitas in qualitate, & ideo Pater & filius mutuo dicuntur similes, quia eadem met natura eiusdem ordinis similes sunt: causa etiam & effectus, quae vnioca sunt dicuntur mutuo similia: inter ea vero, quae sunt alterius ordinis, ut inter effectus & causas alterius rationis & aequiuocas, quia non est natura eiusdem rationis, idcirco non dicuntur mutuo similes: sed effectus dicuntur similes causis, cum tamen sint inferioris naturae. Effectus enim quodammodo imitantur causam & assimilari ei conantur. Eadem ratione imago Celsaris dicitur similis Celsari, non contra: ergo eodem modo creatura, quae est effectus Dei inferioris ordinis, dicitur Deo similis, quia quodammodo imitatur perfectiones illius, sed Deus non dicitur similis creaturae. Filius vero in creatis dicitur duobus modis similis patri: & ratione naturae, quia habet eandem cum illo secundum speciem, & ratione proprietatum individualium, quibus patrem imitatur, ratione quarum dicitur sanctus ad imaginem illius, Celsarum, quoniam haec ita sunt, aliquando scriptura

Isa. 48. 16. & 1. p. 10. 2.

dicit, neminem esse similem Deo: loquitur enim de similitudine, quae est inter ea, quae participant eandem naturam & qualitatem.

Alterum notandum est circa eandem solutionem tertij, in qua docet S. Thom. filium dici adaequari & assimilari patri, non tamen patrem filio & denique omnem personam producentem assimilari ei, quia procedit, non contra. In hunc sensum videtur loquutus Chrysost. super illud ad Hebr. 1. *Qui cum Chrysost. q. 1. splendor, &c.* Vbi aliter, filium esse, & aequalem patri, non tamen patrem filio: & Ang. 1. de doct. Christi. Ang. 1. 2. cum ait, in patre vnitas, & in filio & qualitas: sic enim soli filio tribuit aequalitatem; intelligit autem sicut etiam Chrysost. per modum viae.

Reddit rationem S. Tho. quia haec verba significare videntur motum: tunc enim dicitur aliquis assimilari, vel adaequari alteri, quoties sit ei similis aliqua productione in se recepta, qua veluti tendat ad similitudinem producentis: cumque filius sui productione quasi tendat ad similitudinem patris, dicitur assimilari: contra vero pater, quia non tendit, nec est quasi in via, cum non producat, non dicitur assimilari filio aut adaequari. Conuenit Scotus in 1. distinct. 19. quest. 1. ad 3. Sed aliam reddit rationem, quia aequare & assimilare significat actionem assimilantis & aequantis: assimilari autem & adaequari significant passionem: cumque filius non producat, recte dicitur, pater aequat, & assimilatur sibi filium, sed filius aequatur, & assimilatur patri. Has duas rationes diuersas omnino existimat Capreol. in 1. distinct. 19. quest. 2. art. 1. ad argumenta Aureoli contra tertiam conclusionem, eo quod Aureolus optime conuincit illis suis argumentis, aequare & assimilare non magis significare actionem, quam lucere. Docet igitur Capreol. ideo haec verba, *Assimilari & aequari*, S. Thom. negasse patri, quia saltem significant veluti motum, & viam tendendi ad similitudinem, quae soli personae quae producit, conuenire potest.

Alio modo id ipsum probat Bonauent. in 1. distinct. 19. secunda parte distinct. quest. 3. Et Durandus ibi quest. 1. num. 9. qui in conclusione cum S. Thoma conueniunt, quia scilicet illud alteri assimilari dicitur, quod ad imitationem illius, veluti exemplaris, producit: & quia filius est imago patris, & ad imitationem illius productus, recte dicitur patri assimilari. Haec tamen ratio non videtur de Spiritu sancto probare, quia, ut diximus disputatione 146. cap. 5. ille non est imago patris & filij.

Addit nihilominus Ferrar. loco citato, aliquando etiam dici ea adaequari & assimilari, quae inter se sunt equalia & similia, licet non per motum aut productionem. Quo pacto nihil obest, quo minus pater dicatur adaequari filio & assimilari, & filius etiam & pater Spiritui sancto.

ARTICVLVS II.

Virum persona procedens sit coeterna suo principio, ut filius Patri.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod persona procedens non sit coeterna suo principio, ut filius Patri. Arius 12. modos generationis assignat. Primus modus est, iuxta fluxum lineae à puncto. Vbi deest aequalitas simplicitatis.

Ee

tis.

tis. Secundus modus est, iuxta emissionem radiorum à sole, ubi deest æqualitas naturæ. Tertius modus est, iuxta characterem seu impressionem à sigillo. Vbi deest consubstantialis, & potentia efficientia. Quartus modus est, iuxta immissionem bonæ voluntatis à Deo. Vbi etiam deest consubstantialitas. Quintus modus est, iuxta exitum accidentis à substantia. Sed accidenti deest substantia. Sextus modus est, iuxta abstractionem speciei à materia: sicut sensus accipit speciem à re sensibili. Vbi deest æqualitas simplicitatis spiritualis. Septimus modus est, iuxta excitationem voluntatis à cogitatione, quæ quidem excitatio temporalis est. Octavus modus est, iuxta transfigurationem, ut ex ere sit imago: quæ materialis est. Nonus modus est, motus à mouente, & hic etiam ponitur effectus ex causa. Decimus modus est, iuxta structionem specierum à genere. Qui non competit in diuinis: quia pater non prædicatur de filio, sicut genus de specie. Undecimus modus est, iuxta ideationem: ut arca exterior ab ea quæ est in mente. Duodecimus modus est, iuxta nascentiam: ut homo est à patre. Vbi est prius & posterius secundum tempus. Pater ergo, quod in omni modo quo aliquid est ex altero, deest æqualitas naturæ, aut æqualitas durationis. Si igitur filius est à patre oportet dicere, vel eum esse minorem patre aut posteriorem, aut vtrumque.

2. Præterea. Omne quod est ex altero, habet principium: sed nullum æternum habet principium. Ergo filius non est æternus, neque Spiritus sanctus.

3. Præterea. Omne quod corrumpitur definit esse. Ergo omne quod generatur, incipit esse. Ad hoc enim generatur, ut sit. Sed filius est genitus à patre. Ergo incipit esse & non est coæternus patri.

4. Præterea. Si Filius genitus est à patre, aut semper generatur, aut est dare aliquod instans suæ generationis. Si semper generatur (dum autem aliquid est in generari, est imperfectum: sicut patet in successivis, quæ sunt semper in fieri, ut tempus & motus) sequitur, quod filius semper sit imperfectus. Quod est inconueniens. Est ergo dare aliquod instans generationis filij. Ante illud ergo instans, filius non erat.

In suo hymno fidei. Sed contra est, quod Athanasius dicit, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere filium esse coæternum patri. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod aliquid in principio existens posterius est

se suo principio potest contingere ex duobus. Vno modo ex parte agentis: alio modo ex parte actionis. Ex parte agentis quidem, aliter in agentibus voluntatis, aliter in agentibus naturalibus. In agentibus quidem voluntatis, propter electionem temporis. Sicut enim in agentibus voluntarij potestate est eligere formam quam effectui conferat, ut supra dictum est: ita in eius potestate est eligere tempus in quo effectum producat. In agentibus autem naturalibus hoc contingit, quia agens aliquod non à principio habet perfectionem virtutis naturalis ad agendum, sed ei aduenit post aliquod tempus, sicut homo non à principio generare potest. Ex parte autem actionis impeditur ne id quod est à principio, simul sit cum suo principio propter hoc, quod actio est successiva. Unde dato quod aliquod agens tali actione agere inciperet statim cum est, non statim in eodem instanti esset effectus, sed in instanti ad quod terminatur actio. Manifestum est autem secundum præmissa, quod pater non generat filium voluntate, sed natura. Et iterum, quod natura patris ab æterno perfecta fuit. Et iterum quod actio, qua pater producit filium, non est successiva: quia sic filius Dei successively generatus esset, & eius generatio materialis, & cum motu esset, quod est impossibile. Relinquitur ergo, quod filius fuit quodcumque fuit pater. Et sic filius est coæternus patri, & similiter Spiritus sanctus vtrique.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. de Verbis Domini, nullus modus processionis alicuius creature perfedè repræsentat diuinam generationem. Unde oportet ex multis modis colligere similitudinem: ut quod deest ex vno, aliquantulum suppleatur ex altero. Et propter hoc dicitur in Synodo Ephesine. Coexistere semper coæternum patri filium, splendor tibi denuntiet, Impassibilitatem natiuitatis ostendat verbum, consubstantialitatem filij, nomen innuet. Inter omnia tamen expressius repræsentat processio verbi ab intellectu. Quod tamen non est posterius eo à quo procedit, nisi sit talis intellectus qui exeat de potentia in actum. Quod in Deo dici non potest.

Ad secundum dicendum, quod æternitas excludit principium durationis, sed non principium originis.

Ad tertium dicendum, quod omnis corruptio est mutatio quædam. Et ideo omne quod corrumpitur incipit non esse & definit esse. Sed generatio diuinis

non est transmutatio, vt dictum est supra. Vnde filius semper generatur, & Pater semper generat.

Ad quartum dicendum, quod in tempore aliud est quod est indiuisibile, scilicet instans, & aliud est, quod est durans scilicet tempus. Sed in aternitate ipsum nunc indiuisibile est, & semper stans, vt supra dictum est. Generatio vero filij non est in nunc temporis: aut in tempore, sed in aternitate. Et ideo ad significandum presentialem & permanentiam aternitatis, potest dici, quod semper nascitur, vt Origenes dixit. Sed (vt Gregor. & Augustin. dicunt) melius est, quod dicatur semper natus: vt ly semper designet permanentiam aternitatis: & ly natus, perfectionem geniti. Sic ergo filius non imperfectus est, neque erat quando non erat, vt Arius dixit.

Conclusio est affirmans, & sine controuersia inter Catholicos, definita ab Ecclesia esse omnino locis, quibus contra Arium definita fuit consubstantialitas filij, de quibus fusiis dictum est disputat. 109.

ARTICVLVS III.

Vtrum in diuinis personis sit ordo naturæ.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod in diuinis personis non sit ordo naturæ. quicquid enim in diuinis est, vel est essentia, vel persona, vel notio. Sed ordo naturæ non significat essentiam, neque est aliqua personarum, aut notiorum. Ergo ordo naturæ non est in diuinis.

2. Præterea. In quibuscumque est ordo naturæ, vnum est prius altero, saltem secundum naturam & intellectum, sed in diuinis personis nihil est prius, & posterius, vt Athanasius dicit. Ergo in diuinis personis non est ordo naturæ.

3. Præterea. quicquid ordinatur distinguitur: sed natura in diuinis non distinguitur. Ergo non ordinatur. Ergo non est ibi ordo naturæ.

4. Præterea. Natura diuina est eius essentia. Sed non dicitur in diuinis ordo essentiarum. Ergo neque ordo naturæ.

Sed contra, vbicumque est pluralitas sine ordine, ibi est confusio, sed in diuinis personis non est confusio, vt Athanasius dicit. Ergo est ibi ordo.

Respondetur dicendum, quod ordo semper dicitur per comparisonem ad aliquod principium. Vnde sic dicitur principium multipliciter, scilicet secundum situm, vt punctus: secundum intellectum, vt principium demonstrationis, & secundum causas singulas: ita etiam dicitur ordo. In diuinis autem dicitur principium

vt dicitur in 1. p. p. 2.

principium secundum originem absque prioritate, vt supra dictum est. Vnde oportet ibi esse ordinem secundum originem absque prioritate. Et hic vocatur ordo naturæ secundum Augustinum. non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.

Ad primum ergo dicendum, quod ordo naturæ significat notionem originis in communi, non autem in speciali.

Ad secundum dicendum, quod in rebus creatis etiam cum id, quod est a principio, sit suo principio coæuum secundum durationem: tamen principium est prius secundum naturam & intellectum, si consideretur id quod est principium. Sed si considerentur ipsæ relationes causæ & causati, & principij, & principati, manifestum est quod relatiua sunt simul natura & intellectu, in quantum vnum est in definitione alterius. Sed in diuinis ipsæ relationes sunt subsistentes personæ in vna natura. Vnde neque ex parte naturæ, neque ex parte relationum, vna persona potest esse prior alia, neque etiam secundum naturam & intellectum.

Ad tertium dicendum, quod ordo naturæ dicitur, non quod ipsa natura ordinetur, sed quod ordo in diuinis personis attenditur secundum naturalem originem.

Ad quartum dicendum, quod natura quodammodo importat rationem principij, non autem essentia. Et ideo ordo originis melius nominatur ordo naturæ, quam ordo essentiarum.

Conclusio Articuli & explicatio.

Conclusio articuli est, *In diuinis est ordo naturæ, absque prioritate.* Pro cuius explicatione notandum est ex S. Thoma in solutione 3. & Caietano in hunc articulum. non esse questionem, vtrum in personis diuinis sit ordo naturæ, quasi ipsa natura diuina sit, quæ ordinatur: sed vtrum sit ordo naturæ, hoc est, naturalis, an non. Dicitur autem potius ordo naturæ, quam essentiarum, vt S. Thomas ad 4. docet, quia natura quodammodo denotat originem, non tamen essentia; ordo autem in diuinis est secundum originem. Ego vero intelligere hic ordinem naturæ, id est, realem, & ex natura rei, quem naturalem appellauit S. Thomas, qui non ita recte explicaretur nomine essentiarum: natura enim latius patet, quam essentia. Sed de hoc ordine, & prioritate sequenti disputatione dicemus.

DISPUTATIO CLXVII.

An inter personas diuinis sit ordo prioris & posterioris secundum rem.

Quid sentiant Scholastici c. 1.

Inter diuinis personas non solum esse ordinem, sed vnam priorem secundum rem origine quam aliam, probabilius sententia docet c. 2.

Ecce 2

CAPVT